

notatas esse, sed tantum ut scandalosas, & malefones, dum accipiuntur in quemdam sensum, quem habere videntur, ut in Bulla expressa sunt; adeo ut ob censuram acerbiorum, quam continent; adeo ut, si censura tollatur, aut alio sensu intelligantur, tum verissima sint, & propugnari queant.

Affirmat, & contendit in rem suam privatam Ripalda Jesuita, in postremo Opere, ab eo edito, omnes Propositiones, quæ in Pii V. Bulla leguntur, esse proscriptas, sin minus ut hereticas, certe ut falsas: quod cum aliorum e Societate Scriptorum sententia non concordat: cujus rei multa alia exempla proferri possent.

Nec dici potest (quod dicunt ii, quorum interest) Pontificem id, quod in Memoriali, sibi ab Oratore Lovaniensi oblato, continebatur, habuisse pro fallacia, quæ adornata esset a Jesuitarum adversariis: qua suspicione maxime laborarent Theologi Lovanienses: nam, si ita esset, & falso ea Jesuitis objecta fuisset; procul dubio Pontifex, in gratiam Societatis, accusatores castigasset, ut digni fuissent tanto admisso crimine, quippe qui celeberrimæ, & illustrissimæ Jesuitarum Societati, in ipsis oculis, & manibus Pontificis, calumniam intulissent, & falsa crimina imposuissent.

Cæterum nec calumnia est, nec id nomen usurpari potest, dum nemo nominatur, nec ullus adversus privatum quemquam, aut Societatem suspitioni locus datur: quod neque in Memoriali Theologorum Lovaniensium, neque in nostro factum est. Adeoque, ut jam supra dixi, mirum mihi videtur, Jesuitas id sentire, quod eos non tangat. An vero, quod in Memoriali refertur, fallacia sit, æstimare licet tum ex certissimis, quæ & in manibus sunt, quæque ante supremum Inquisitionis Tribunal lata sunt, argumentis; tum ex libris, qui quotidie in Gallia, & aliis locis in eam eduntur, contumeliarum, & calumniarum in S. P. N. Augustinum plenissimis.

Dum jam videtur, (ajunt nostri isti homines) inutiles fuisse fraudes suas &c. Reverende Pater, verum, & sincerum veritatis studium fraudis vocandum non est. Si a Te, R. P. attente lectum, & perpenum est Memoriale, Pontifici a Lovaniensium Legatum oblato; necesse est, te fateri, in eo nihil aliud deprehendi, quam ardorem illum singularem, eundemque animum, quo primi S. P. N. Augustini Filii, & Discipuli, Sanctus Prosper, Sanctus Fulgentius, alique, ejus doctrinam propugnarent adversus illorum temporum hæreticos, qui ejus famam calumniis appetebant.

At vero quod esset Theologorum Lovaniensium crimen, si Memorialibus illis, ac Propositionibus exhibitis, conati fuissent, S. P. N. Augustini Filios commovere, eosque inducere, ut ejus doctrinæ defensionem susciperent, quippe quorum maxime interesset? Agendæ illis a nobis sunt gratiæ, quod nos veluti ex somno excitant, demonstrantque contumelias, & calumnias, quibus quidam S. P. N. Augustini nomini, & gloriæ tenebras offundere nituntur; quodque nos monuerint illius, Divique Thomæ Discipuli, ejus doctrinam jamjam eversum iri, nisi in partes veniremus, & ad eam defendendam erigeremus caput. Quod illi demonstrant honoris nostri, atque famæ studium, id singularis beneficii loco habendum a nobis est. Nemo enim non miratur, Sancti Augustini Filios, ad quos hæc res omnis inprimis pertinet, in tantis periculis altum silere.

Si Theologi Lovanienses ad hanc rem Patres

Dominicanos administratos adhibent; tanto majus crimen nostrum erit, si, dum toti homines dant operam, ut nos excitent, dormire pergimus. Non existimo tamen, hos ab iis adhiberi, nedom Patres Dominicanos sudere, ut aliis religiosis Ordinibus sibi adjungant eo consilio, ut in unum veluti corpus adunati, fortius Jesuitarum impetum sustineant; eorumque Doctrinam, & Scriptores in invicem adducant. Sed (si id agunt) id eos facere arbitror eo uno consilio, ut defendant, & sustineant doctrinam S. P. N. Augustini, cujus Patres Dominicani sunt ante omnes genuini discipuli. Id toti Orbi notum est; id ipsi demonstrant, dum tam prompto, & forti animo, novis dogmatibus quæ Societatis Theologi invehebant, Sancto Augustino contrariis, obliterant; rem illam soli in Congregatione de Auxiliis persecuti sunt, ubi inprimis agebatur, ut sciretur, quæ esset Divi Augustini doctrina, atque ut ea adversus hostes tam formidandos sustineretur. In quo nos Ordinis Illustris Sancti Dominici Patres longo intervallo post se reliquunt.

Optime memini eorum, R. P. quæ me jubes in memoriam revocare; sed non ita, ut refers, illa se habent.

En tibi veram rerum gestarum historiam. Sub annum circiter 1623. Patres Societatis omnibus viribus conati sunt, sibi in Universitatem Lovaniensium aditum patefacere, atque in ea publice docere. Ea re coacti fuerunt Lovanienses, Cornelium Janfenium, Doctorem, & Collegam suum, huc delegare, qui Regi, quem Deus sospiter, exhiberet, quæ timenda essent incommoda, si Jesuitis in Universitate locus daretur. Atque ita, quæ dicebat, probavit, ut a Philippo IV. ea omnia, quæ petebat, obtinuerit, ut constat ex edicto in eam rem Matriri dato 3. die Octobris, anno 1624. missoque ad Serenissimam Principem Isabellam: quod etiamnum vim omnem suam retinet: quandoquidem Patres Societatis ad corpus Universitatis nondum sint aggregati. Hinc rursus intelliges, R. P. quibus dolis tibi imponere studeant homines isti, quorum res agitur: nam falsissimum est, missum esse Lovanio Doctorem Legatum ad Universitates Hispanicas, qui peteret, ut, falso federe, vires jungerent, & in unum veluti corpus coirent, seque mutuis auxiliis adversus Societatem, ejusque opiniones tuerentur. Item falsum est, eos ad optatum finem coepisse perducere nequissimè; sed sperant, fe id, quod modo aggreduuntur, non minus feliciter perfecturos, quodque contendunt, consecuturos, ut tum temporis consecuti sunt, quod petebant.

Ad secundam rationem ajo, jam tum sciri Auctores Propositionum, locaque, unde excerptæ sunt. Id quoque scit supremus Inquisitionis Senatus, certisque argumentis omnia probata habet. Porro, si de iis edoceri cupis, R. P. ipsi Molinæ Sectatores etiam nunc tractatus adversus Sancti P. N. Augustini doctrinam, & auctoritatem & componunt, & publice dicant, ut mox R. P. demonstrabo. Si que Pontifici, Regique oblata fuerint Memorialia, neque Auctores, neque loca, unde excerpta sunt, indicant; id efficere eorum, qui duces in eo negotio fuerunt, & in proximum charitas, & veritatis amor, alienusque ab ulciscendi libidine animus, cui dum alii, quos non nomino, obsequuntur, contemptis Superiorum mandatis, & præceptis, viros probos, designatis nominibus, infamare student. Satis consertum est, quosdam Societatis Theologos Propositiones quorundam Auctorum sic truncatas, & mutilatas referre, ut, dum cum archetypis conferuntur, omnino diverse sint ab iis, quæ proferuntur, & denunciantur.

Ne

Ne longus sim, ad hæc comprobanda unicum exemplum, idque novum, & recentissimum adferam. Anno proximo elapso 1649. prodit in lucem alterum Opus posthumum Joannis Martinez de Ripalda Jesuitæ, in quo proferuntur loca tam turpiter mutilata, truncata, & adulterata, ut in eo omnem ipsorum hæreticorum superet auctoritatem. Sapennumero binas sententias, procul a se distitas, ut ad rem suam accommodet, in unam colligit: modo particulam negantem, ubi nulla est, adjicit; quod sensum maxime contrarium diversum efficit: modo pro Sanctorum sententiis suas proferit: nonnumquam ea, quæ obijciuntur, hæreticorumque argutiones, quod cæcus, ut ita loquar, etiam advertere potuisset, pro Sanctorum Patrum placitis accipit. Librum suum implevit innumeris locis, cum in modum, depravatis, & adulteratis, quæ in libello qui inferibitur, Joannes Martinez de Ripalda Vulpes capta, palam facta sunt: animadversumque est, supra viginti unius Sancti Augustini sententias ab eo esse adulteratas.

Quod ad 3. rationem attinet, non jam agitur, ut a Patribus Societatis discedamus; nec ut privatam cum Patribus Dominicis conjunctionem ambiamus: at id unum studemus, ut Patrem nostrum Sanctum Augustinum adversus hostes, quicumque illi sint, defendamus.

Porro, si ad eam defensionem suscipiendam necessarium esset, ut cum Ordine aliquo religioso societatem iniremus, an non existimas, R. P. satius fore sociam habere S. Dominici Ordinem, celeberrimum juxta, & eruditissimum, qui & Regulam, & Doctrinam S. Augustini proficitur, quam iis nos sociare, qui neutrum ex his faciunt? Ante natam Societatem nulla erat nobis cum Patribus Dominicis similitudo; sed contra, summa erat inter eos, & nos, & doctrinæ, & animorum consensio. An non animi levissimi, & nimium creduli esset, veteri illa necessitudine, ac conjunctione dissoluta, novam cum Patribus Societatis, arduissimamque jungere? Sin ita est, profer, si labor, R. P. rationem illam gravem, urgentem, certam, & compertam, quare id a nobis fieret. Si quidem in Provincia vestra tanta sit cum Societate conjunctio, id nescio; id scio, nullam neque in hac Provincia, neque in Andalusibus esse nobis cum illis aut necessitudinem, aut similitudinem.

Ad quartam rationem id unum respondeo, nobis, id, quod jam supra dixi, certis argumentis de Propositionibus, de earum Auctoribus, deque locis, unde excerptæ sunt, compertum esse.

Porro quid sperandum foret, si amice moniti fuissent Patres Societatis, æstimare licet ex eo, quod ab iis factum est, dum a veritate discedere coeperunt. Nam, ut supra memoratum est, cum a Theologis Lovaniensibus anno 1585. moniti fuerunt Professores Societatis de novitate viarum, quas ingrederentur, non solum non ab iis recesserunt, verum ultra progressi animum in novis suis opinionibus tuendis obstinarunt. Sed juvat ipsa, quibus Theologi Lovanienses rem omnem referunt, verba memorare; digna sunt quæ legantur. Cum autem que notanda putarant Collegii nostri Magistri, quibus datum erat negotium dictata Professorum vestrorum perlegendi, lecta nobis fuissent, quamquam cum iis, quæ perlata initio fuerant, valde consensivo viderentur, ut quid tamen diligentie, aut humanitatis prætermisum a nobis videri posset, decrevimus, ut selectiora quæque Reverendis Paternitatibus vestris offerrentur, num ea pro vestris agnosceretis, aut si quid non satis dextere excerptum, aut obscurius fortassis, minusve con-

Serry Tom. II.

fidere dictum foret, id supplere, illustrare, ac emendare dignaremini.

At vero usque adeo de prioris sententia discessum non est, ut, pauculis tantum mutatis verbis, oblati aviculi, seu assertiones pro vestris agnoscerentur, approbarentur, & adjecto passim sobolis, pluribus etiam rationibus confirmarentur.

Tum pro Præfationis suæ epilogi sic loquuntur: Quod autem superest, Reverendi Patres, obsecramus vos in Christi visceribus, ut rem hanc totam, seposito paulisper anticipata opinionis præjudicio, liberis animis intueri, serioque expendere dignemini, ut, si fieri queat, in tam magno fidei nostre de Gratia Christi, ac Dei Prædestinatione negotio, unum, idemque concorditer sapiamus, eo magis, quod (ut idem de Massiliensibus queritur Prosper) eadem aliquando nobiscum, melioraque senseritis.

Quæ charitati conformior excogitari possit oratio? nec tamen eo factum est, ut hæcenus Patres Societatis ab opinionibus illis discesserint.

Profecto verisimile est, eos nobis non magis facturos fuisse satis, si 22. Propositionum, S. P. N. Augustino contumeliosarum, Auctores, aut Defensores admoniti fuissent.

Atque ita, etsi eorum Generalis eas juberet e libris expungi, aut in bonum sensum explicari, aut ab Auctoribus retractari, certe nescio, an obtemperaturi essent.

Atqui ratio, cur de eo dubitem, hæc est, quod Claudius Aquaviva, Jesuitarum Generalis, ut narrat disp. 6. q. 2. d. 5. de gratia, Tannerus, e Societate Scriptor, Decretum edidit, quo Theologi Societatis, in exponenda Divinae gratiæ efficacia, jubentur sequi sententiam, quæ coram summis Pontificibus Clemente VIII. & Paulo V. in congregatione de Auxiliis explicata, & propugnata fuerat, quamque Viri sapientes, & eruditi Sanctis Augustino, & Thomæ conformiorem censuerant. Judicent, qui rerum scientes sunt, an Theologi Societatis Decreto illi obtemperent.

Quod de Patrum Societatis in S. P. N. Augustinum, Ordinemque nostrum animo dicis, R. P. satis manifestum est ex libris, quos ante ediderunt, & indices edunt, in quibus de S. P. N. Augustino, Doctorem Coryphæum, & primario Ecclesiæ columine, irreverentissime, & contemptissime loquuntur. Quo fuit in D. Augustinum animo is, qui dicere ausus est, Sanctum illum Doctorem, dum de Divina gratia, & libero arbitrio scripsit, fuisse obitum densa caligine, qua prohibitus fuerit videre, aut intelligere eas veritates, quas ipse jam detexisset? Sancti Augustini sententia obfirmatos fuisse in errore Pelagianos, & Semipelagianos, & ad eorum partes abductos complures Catholicos? Lutherum, & Calvinum ex ejus doctrina hæreson suarum cepisse semina? &c. Quando istæ assertiones, atque aliæ multæ, non ab similes, in S. P. N. Augustinum ram manifeste contumeliosæ, a tot annis in publicum sparæ, libique, in quibus habentur, toties typis editi fuerunt; quid causæ est, cur eorum Generalis non jubeat, eas ex istis libris expungi, aut ab Auctoribus revocari, cum homines isti fateantur, non minus interesse Jesuitarum, ad opinionem suam tuendam, quam nostram, ad doctrinam nostram defendendam, ut sua S. P. N. Augustino fama, & auctoritas integra conservetur? Fuerunt enim sine dubio Viri spectabiles non solum extranei, sed ex ipsa Jesuitarum Societate, qui eos de audacia illa sua amice monuerunt.

Quid dicam de Joanne Adam, recente e Societate Scriptori, qui hoc ipso anno 1650. cum Provinciali sui licentia, in lucem edidit librum,

Q q

ejus

cujus pene me exemplar est, in quo de S. P. N. Augustino contemptius loquitur, quam locutus esset de quovis recentiore nullius nominis Scriptore? Postquam sæpius dixit; (1) *Doctrinam Sancti Augustini justo obscuriorem esse, & se cum pugnantem, impediam, pluribusque erroribus obnoxiam, ejusque libros tenebris, ac nubibus ita esse obductos, ut non absque profunda meditatione distingui possit, quid doceat, ut dubium, & quid iradat, ut indubitabile, quidve dicat adversarios impugnans, & quid doceat sua defendens; sepe oppositas sibi ab adversariis objectiones in eisdem retorquere, eos in absurditates miras conjiciens; instantiam instantia solvere; inconueniens refutare difficultate longe majori: ulterius, inquit, non clare exponi, num objectiones ad suos hostes impugnandos proponat, vel quid in eos cum istis conveniat, Ex quibus mihi licitum est concludere, noluisse Augustinum suos sensus clare exponere, vel in illis explicandis non ita felicem fuisse, ut nullus de ejus mente dubitandi superest locus: quare immerito volunt, ipsum esse Oraculum gratiæ, & Concilii Tridentini interpretem. Capite tandem septimo dicit, S. Augustinum, dum Pelagii errorem impugnet, disputationis æstu abreptum, in errores oppositos abisse; aliaque ejusdem generis calumnias effudit, quas, ne longior sim, omitto.*

Hinc jam æstima, R. P., an ea sit hominis, D. Augustino, aut doctrinæ ejus addicti, oratio, aut a Patribus istis integra, & æqua satisfactio sperari posse, videatur. Si quæ affirmat Scriptores iste, Joannes Adam, vera sunt; nihil in S. P. N. Augustini doctrina certum est, nec ea niti possumus. Atque is scopus est, quo collimant; id unum, quod contendunt Sancti Doctoris nostri inimici, quo facilius tueri queant dogmata sua nova, ex aduerso pugnata cum ejus doctrina, quæ in solis obscura est, qui ejus splendorem ferre non possunt. Dionysius Petavius, Scriptores item recens, e Societate, postquam contra opinionem temerariam Joannis Adam Socii sui factus est, (2) *Omnia Latinorum, quorum in hac controversia majorem dixi auctoritatem esse, Princeps est, consensus Theologorum, Augustinus, cujus de gratia sententiam, quotquot deinde consecuti sunt, Patres, ac Doctores, tum vera Ecclesiæ Præfules, Præsulumque Conventus aliorum, ratam, & Catholicam esse, judicaverunt, ut hoc satis magnum putarent veritatis argumentum, quod ab Augustino positum, ac decretum est, constaret: tandem Patrum omnium Principem Augustinum, ipsiusque auctoritatem, quam, ipsemet teste, reverentur, & sectantur alii omnes Sancti Patres, & Doctores, turpiter deserit: & ut sententiam, cum S. Augustini placitis pugnantem, stabiliat, audeat dicere: *Sepe ista magnorum Virorum auctoritate, causa cum causa, res cum re, rationes cum rationibus comparanda sunt, ex eoque solo disjudicandum est, utra sit opinio verisimilior. Sic hoc tempore Auctores quidam, contra veterum omnium sententiam, & judicium, suamque ipsorum confessionem, Sancti Augustini P. N. auctoritatem vilipendunt.**

Quamquam hæc exempla, quæ scilicet dici nequeunt, produxisse sufficit, adhibere tamen lubet, R. P., quod perquam celeberrime ex Academia Parisiensis Scriptores in libro, qui hocce anno 1650. editus est, hoc titulo: *Qualis sit auctoritas Sancti Augustini in Ecclesia*, refert de quodam ejusdem Academiæ Doctore, Jacobo Peyerer. Hæc de eo habet capite ultimo. *Quod abjectis, & calcatis aliorum Pontificum sanctionibus, quibus Sancti Augustini auctoritatem, & doctrinam stabilitam vi-*

*det, solas Bullas Pii V. & Urbani VIII. observandas, in suo Apparatu monuit, & inculcet, nullo adductus ut amore veritatis, aut desiderio disciplina, aut vero in Sedem Apostolicam cultu, sed solo Molinistarum partium affectu, & opera sua, quam addidit, præstando, studio. Existimavit mirum homo acutus, illis posteriorum Pontificum Bullis labefactari auctoritatem S. Augustini, damnari doctrinam, & Molinistarum dogmata muniri. Hinc scene servare voluit, & Molinismi ruentis famam quovis Sanctorum Patrum, Pontificum, Sedis Apostolicæ, Conciliorum, Ecclesiæque univærsæ dispendio sustinere.*

Narrat idem Scriptores, Concionatorem Jesuitam ex Aquitania nuper eo profuisse, ut publice de Jesuitis in S. Augustinum sit debacchatus ea levitate, & inscitia, immo contumacia, & impietate, ut erubescere non solum socii, sed ipse quoque, quavis summe petulant, indignantibus, & adversariis bonis omnibus, coactus sit. Quo autem mentis fervore in Augustinum, eodem in Propetas, in Apostolos, maximeque in Sanctum Paulum irruerit est, omnes profusus cæco nature impetu, æstuque abrepitos, veritatis, & fidei limites transiisse, non veritus affirmare.

Hæc exempla recentia sunt: at ultra ibunt, si nemo cohibeat. Veniamus ad 5. rationem, quæ ad rem publicam, & politicam pertinet. Repeto, quod supra dixi, jam non agi neque de discessione a Patribus Jesuitis faciendi, neque de societate arctiori inveniunda aut cum Patribus Dominicis, aut cum alio aliquo Religiosorum Ordine; sed unum hoc nobis esse negotium, ut nobis adjungamus filios, & discipulos genuinos S. P. N. Augustini, id est eos, qui ex animo ejus doctrinam sequuntur, & aliis sequendam tradunt, sive ii Dominicani sint, sive Jesuitæ, sive alii quicumque. Is maxime noster erit, qui pro Patris nostri doctrina, & auctoritate fortius pugnaverit.

Quod veretur, R. P., ne Patres Dominicani Societatem nostram ambient hoc uno consilio, ut tentent, an Jesuitas superare non possint, adjucentis sibi aliis Ordinibus, vanum mihi quidem videtur. Nam non arbitror, eos de Jesuitis velle triumphare, sed de ea, quæ apud eos traditur, doctrina, quæ Sanctis Patribus, præcipuisque veterum Auctorum contraria est. Quamvis autem tibi videatur, R. P., aut tibi ab aliis persuasum sit, Patres Dominicanos, aliorum auxilio destitutos, non potuisse Theologos Societatis superare; certe aliud constat ex Actis Congregationis de Auxiliis, & ex Idea Bullæ Pauli V. Pontificis, continuo post illam Congregationem apparatus, in qua quinquaginta circiter Molinæ assertiones, ut S. Augustino contrariæ, reprobandur.

At nihil est, quod magis mirer, quam, quod a te dicitur, R. P., doctrinam Patrum Dominicanorum, quæ Divi Thomæ est, indies delabi. Quis enim ignorat, eam ab universa Ecclesia, & ab omnibus bonis, verisque Theologis, qui animi impetu, propriisve opinionibus non ducuntur, pro secura, & genuina Theologiæ norma haberi? Qui diversum aut affirmat, aut sibi persuadet, eum oportet ineptissime sentire de recentioribus Theologis, qui per invidiam Divi Thomæ gloriam, & æstimationem ferre non possunt. Quid quod hodieque Ordinis nostri in Universitate Salmanticensi Professores, Pater Magister Gamboa, Pater Magister Oviedo, Pater Magister Aguillar, ac Illustrissimus Episcopus Gadratanus, meri Thomistæ sunt? similiter & Ordinis de Mercede, & cæteri celeberrimos hujus

Acad.

Academiæ, aliarumque scholarum Hispaniensium Theologi prævalent: quod cuius notum est. Siqua schola est, quæ Divi Thomæ non adhaeret, in contemptu est. Quis nescit, in Gallia Universitatem Parisiensem S. Thomæ doctrinam profiteri, Tholosanam etiam Sacramento ad eam tendendam se adstringere? Quis nescit, eam in omnibus partibus septentrionalium Academiis florere? Lovaniensis D. Thomam, secundum post Sanctum Augustinum, Magistrum habet. Duacena illum sequitur: In Colonia omnes in ejus sententiam jurant. Jam vero rerum sit ignorantissimus, oportet, qui nesciat, eam in omnibus Italiae Universitatibus teneri: Neapolitanos Divum Thomam & pro scholarum Magistrum, & pro Patriæ Patrono, ac præcipuum Ornamento venerari. Ut paucis absolvam, Sancti Thomæ doctrinam omnes Europæ Academiæ amplectuntur, & venerantur: quo mihi spes certa nascitur, omnem dæmonum vim, atque artes nihil adversus eam valituras.

Sed id ipsum, quod contendimus, ex verbis tuis conficio. Nam id verum est, doctrinam Sancti Thomæ indies delabi, necesse est, una pessumdet S. Augustini Patris nostri doctrina, quæcum altera, utpote merum ejus compendium, firmissime coheret. Id fieri debet, qui tantillum operæ binis illis Viris Sanctis dederunt. (1) Vix enim in Divi Thomæ Summa Articulum reperias, in quo S. Augustinum non citet, suasque responsiones ejus auctoritate confirmet. Cur ergo non judices, R. P. in tanto periculo jungendas esse dexteras, ad auctoritatem, ac doctrinam gloriosissimi Patris nostri defendendam?

Fortassis verum est, & per me, credatur, licet, *Jesuitas nunquam non laudi sibi duxisse, S. Augustini gnaros discipulos se haberi*: sed jam supra in responsione mea ad quartam tuam rationem demonstratum est, quodnam illi genus discipuli Sancti illius Doctoris sint. Et certe præclarum illius rei argumentum dederunt, dum Universitatis Salmanticensis iurisdictioni, cui constituto nostro, ac Dominicani Ordinis Professores Theologi adlaboraverant, intercesserunt.

Nec memini, in eorum Auctoribus, ac Scripturis advertisse, eos multum esse sollicitos, ut suæ opinionem cum S. Augustini placitis concordent: hæc intelligo de Divinæ gratiæ, & liberi arbitrii, prædestinationisque materia, quæ sicut præcipua doctrinæ ejus capita. Immo vero S. Augustini discipuli de iis omnino diversa quotidie demonstrant. Et ut primum coeperunt, in eum injuriosi esse, eo crimine, præsertim in Congregatione de Auxiliis, coram summo Pontifice, palam convicti fuerunt.

Verum est, eos ab eo tempore, postquam Clemens VIII. Pontifex dixerat, ut in illis, atque aliis omnibus de prædestinatione, de gratiæ, & libero arbitrio disputationibus S. Augustini doctrina pro judiciorum norma haberetur, cœpisse in S. Augustini doctrinam paulo reverentiores esse. Sed major eis cura fuit, ut Sancti Viri doctrinam ad suam aptarent, quam, ut suam illius placitis conformarent. Viderisque, id sentire, R. P., dum post affirmas, Auctores nostros cum Auctoribus Societatis sententias concordare: veluti si non S. Augustini, sed Jesuitarum placita norma essent, ad quam doctrinam nostram exigere tenerentur.

Cæterum quod scribis, R. P. *doctrinam Societatis, & nostram sic concordare*, per me licet, sint ex omni parte conformes, modo legitime sint ejusdem Patris, id est S. Augustini, filii; si verum Serry Tom. II.

(1) Citatur S. Augustinus circiter 1500. in Summa D. Thomæ.

ro ejusdem Patris sint filii, oportet, eas ex omni parte concordare esse cum doctrina Divi Thomæ, quippe qui sit S. P. N. Augustini filius, & discipulus fidelissimus. Atque ita tantum aberit, ut Auctores nostros, qui semper libenti animo S. Thomam secuti sunt, improbemus, ut contra eos ea causa prædicemus. Egidius Romanus non solum discipulus, sed etiam auditor Divi Thomæ fuit, & ex ejus ore didicit, quidquid subinde scriptis mandavit. Pater Magister Guevara, Bannezi competitor, sacer D. Thomæ Sæclator erat, & tanta necessitudine competitori conjunctus, ut cum eo convivari eodie non deditaverit, quo ei alter in cathedræ petitione antelatus fuerat. Non minori studio S. Thomam secutus est Pater Magister Gornejo, ut ejus scripta declarant. Ique ex iis fuit, qui Salmanticensis juris-jurandi negotium sollicitaverunt, quique libello apologetico, in eam rem edito, subscriperunt. Quis vero nescit, Patrem Magistrum Basilium Pontium Legionensem fuisse illius consilii de instituendo jure-jurando auctorem, & ducem?

Hæc sunt, R. P., quæ rationibus tuis summo animi candore respondenda putavi. Adeoque pro ea, qua polles, prudentia singulari, & pietatis studio, ut dignum decet Patris nostri filium, spero, fore ut fortiter in defensionem honoris ejus incumbas, & quantum in te erit, adjuves cæpta nostra, quibus nihil aliud querimus, quam majorem Dei gloriam, gloriosi Patris nostri Augustini honorem, & Sancti Ordinis nostri existimationem. Sic habeto, & Sancti magister futurum observantissimum tui filium, sincerissimum amicum, & ad officia omnia paratissimum famulum.

F. BARTHOLOMÆUS DE LOS RIOS.

A L T E R U M

M E M O R I A L E,  
A REVERENDO PATRE MAGISTRO  
BARTHOLOMEO DE LOS RIOS

O B L A T U M

INQUISITORI GENERALI.

Sub initium mensis Septembris 1650., ex Hispanico in Latinum versum.

ILLUSTRISSIME DOMINE.

Pater Magister Bartholomæus de los Rios, regius Ecclesiastes, & primarius hujus Provinciæ Castellaniensis Ordinis S. P. N. Augustini Definitor, nomine dictæ Provinciæ, item Andalusensis, & Tarraconensis, exponit, quod, etli dignatus sis, Decretum tuum ad omnes Inquisitiones mittere, jussisset mandatis solemnibus, in locis omnibus, jurisdictioni tue subjectis, publicari Censuram, & Judicium, a te latum in 22. Propositiones, quas homines audent in Hispania sperferunt, contrarias Doctrinæ Catholicæ, & Sanctæ Divi Augustini Patris nostri, ejusque auctoritati, quæ & summa, & firmissima est; tamen necdum publicata sint, neque in hac civitate Regia, neque in ullo alio loco hujus Archiepiscopatus Toletani; quod mirum videatur: quia, quemadmodum ad primi mobilis motum cætera omnia moveantur, ita, dum hoc sacrum, & fa-

Q9 2

pre-

(1) Cap. 6. (2) Theolog. dogm. Tom. I. lib. 9. c. 6.

premiu Tribunal sancta sua Decreta edidit, ipsius exemplum omnes hujus Monarchiæ Inquisitiones sequi & solent, & debent. Qua de causa te suppliciter, & demississime orat, ut jubeas; Matriti, Toleti, & in aliis omnibus hujus Archiepiscopatus locis publicari Censuram dictarum Propositionum, insertis in Decretum, & sigillatim designatis singulis illis 22. Propositionibus, ut evitetur incommodum, quod aut temporis, omnia ferentis, diuturnitas, aut malitia eorum, qui Propositionum illarum auctores sunt, adferre possent, si solum referrentur prima, & postrema earum, quæ in Libello supplicis, Pontifici oblato, exprimuntur. Cum enim in paucissimorum manus libellus ille venerit, fluxu temporis fieri posset, ut astuti, & maligni homines, cæterarum, quæ inter primam, & postream comprehensæ sunt, memoriã abolerent, primamque ultimæ conneclerent, ut hac ratione persuaderent, cæteras proscriptas non fuisse, sed eas solummodo, quæ primo, & ultimo loco jacent.

Item petit, ut sibi tradi præcipias exemplum authenticum Decreti tui, & mandati, fiatque facultas illud typis excudendi, mittendique ad omnes trium Provinciarum Conventus, in Tabulariis domesticis asserendum, in quibus erit instar armorum, quæ in promptu sint ad sacram Doctrinam S. P. N. Augustini defendendam: Augustini, inquam, qui certum in te habet prædium illud, atque turriam, quod nunquam non præstatur a te, ubicumque Religionis, fidei Catholice, & Sanctæ Matris Ecclesiæ utilitas postulat, quemadmodum a Vincentio Lirinensi dictum est: Quo quisque religiosior est, eo promptius novellis adinventionibus contradicit.

GeIASIUS I. Pontifex, summo illo studio adferendi malis prompta remedia, illisque occurrendi, sub ipsa initia, incitatus, præclare dixit: Estimantes melius, nos videri, impatientius talia investigare voluisse, quam crescere, dissimulando, perniciem: neque enim vel silentio premere causas hujusmodi, vel differendo sœvere debemus, dicente Magistro gentium: Sollicitudine non pigri, atque iterum: Qui præest in sollicitudine nos, nisi continuo quaeremus, etiam si inaniter vulgata convincerent. Nec interest, per quos ad aures nostras eadem pervenissent, dum quomodolibet ista referentibus, postquam nostram conscientiam penetrarent, in his veraciter indagandis Pastorales excubias esse non oportuerit negligentes, quatenus vel e vestigio possit lupis inbianibus obviari, vel nullis existentibus feris, ovium custodia secura persisteret.

II. MEMORIALE, REGI HISPANIARUM

OBLATUM (1)

A

R. P. BARTHOL. DE LOS RIOS,

Ordinis Eremitarum S. AUGUSTINI Religioso.

REX.

Pater Magister de los Rios, apud Regiam tuam Majestatem Verbi Divini Præco, & primarius in hac Castellani Provincia Ordinis S. Augustini Definitor, exhibet, se abhinc duobus circiter men-

fibus ad Majestatis tuæ genua prostratum, ex nomine, & mandato hujus Provincie, item Andalusiensis, & Tarraconensis, obtulisse Libellum supplicem, quo V. M. suppliciter, & demississime orabat, ut pro honorifico Defensoris Ecclesiæ titulo, quo jure merito ante omnes Christianos Reges gaudet, quemque, a majoribus fortibus factis promeritum, hereditario jure accepit, auctoritatem suam apud summum Pontificem interponere dignaretur, datisque litteris enixe flagitaret, ne pateretur, labefactari auctoritatem S. Augustini, Doctorum Ecclesiæ Coryphæi, in quem quida ejusdem Ecclesiæ filii multa temere, & insolenter dixerunt, quorum nonnullæ assertiones in Memoriali primum oblato relatae sunt: ne, si scintille ille negligatur, magnum in universa Ecclesia exciteretur incendium. Hoc enim summi momenti negotium est, atque adeo ejusmodi, ut non solum de S. Augustini, aut Ordinis nostri honore, sed de totius Ecclesiæ everitione agatur. Quæ causa est, cur Orator tam ardenti, & sollicito studio id beneficii flagitat.

Fretus igitur benignitate, & benevolentia Vestra, Rex Clementissimus, tituloque Defensoris Ecclesiæ, & Sanctorum ejus, quo merito ornatus es, iterum pedibus Majestatis Vestre advolutus, te Regem, fidei, & Religionis studiosissimum, suppliciter orat, ne diutius differat V. M. ad Pontificem scribere. Nam, quo majus est illius in Ecclesiam, Religione sine Catholicam studium, eo certior est spes, illam fine mora auctoritatem Regiam interposituram, ut novitates tantæ, tamque perniciose comprimantur. Quæ de re Vincentius Lirinensis olim hæc pronuntiavit: Quo quisque religiosior est, eo promptius novellis adinventionibus contradicit. Item, quod Innocentius Pontifex in re simili dixit, hic in rem nostram facit: Sannandum ergo celerius, ne longius exasperandis animis morbus inserpat: sicut medicus, cum vidit, hujus terrenti corporis aliquem esse languorem, magnum sue artis estimat documentum, si cito quies, illius intervntu, desperatus exadat; vel, cum putre vulnus adspexerit, adhibet fomentum, vel cætera, quibus illud possit, quod natum fuerat, vulnus obducere. At si id manens sanari non potuerit, ne corpus reliquum sua tabe corrumpat, ferro amputat, quod necobat, quo reliquum integrum servet, & intactum. Præcidendum id ergo est, quod, velut puero, sanoque nimium corpori vulnus obrepit, ne cum tardius abstergitur, in ipsis pene visceribus hujus mali, non exaurienda post, sentina confidat. Et paulo post: Avellendi sunt longius, & ab Ecclesiæ procul removendi visceribus, ne, diutius multa occupans, insanabilis post error increseat. Si enim diu sub hac fuerint impunitate versati, necesse est, multos in banc suæ pravitatem mentis inducant, decipiantque innocentes, vel potius imprudentes, qui fidem Catholicam non sequantur. Putabunt enim, eos recte sentire, quod adhuc viderint in Ecclesia perdurare. Separaretur ergo a sano corpore vulnus insanum, remotoque morbi ferventis afflatu, cautius, quæ sunt sincera, perdurent, & grex purior ab hac mali corporis contagione pargetur.

Eadem mente Episcopi Africani, a Trasimundo Vandalorum Rege in Sardiniam Insulam relegati, omnes fere S. P. N. Augustini Institutum professi, dixerunt: Quantum membra Ecclesiastici corporis, per Christi gratiam, in unitate fidei, compages retinet caritatis, tantum necesse est, ut pro incivili sollicita sint membra: ut, repulso cujuslibet prævi dogmatis verbo, non solum servande, sed & reparande sanitati jugis, atque indefessa tam sermone, quam orationis impendant instantia: quia, sic

ut ipsam dilectionem dono gratie spiritualis accipimus, ita, dum pro fratribus solliciti sumus, non solum Divinam inesse nobis gratiam, demonstramus, verum etiam, quanto magis a nobis puritas caritatis impenditur, tanto magis gratia nobis Divinæ restitutionis augetur.

Et certe in hac occasione, tres Provincie, ex quarum nomine, & mandato pedibus Majestatis tuæ hic advolvor, Rex, videntur posse Majestati tuæ proponere hæc Gelasii Pontificis verba. Non putavimus, ullatenus differendum, quo minus, hæc diligentius inquirentes, aut si forte subreperant, de proximo sanarentur, aut anxietatem nostram, si falsa probarentur jactata, revelarent. Estimantes melius, nos videri, impatientius talia investigare voluisse, quam crescere, dissimulando, perniciem: neque enim vel silentio premere causas hujusmodi, vel differendo sœvere debemus, dicente Magistro gentium: Sollicitudine non pigri, atque iterum: Qui præest in sollicitudine nos, nisi continuo quaeremus, etiam si inaniter essent vulgata, convincerent. Nec interest, per quos ad aures nostras eadem pervenissent, dum quomodolibet ista referentibus, postquam nostram conscientiam penetrarent, in his veraciter indagandis, Pastorales excubias esse non oportuerit negligentes, quatenus vel e vestigio possit lupis inbianibus obviari, vel nullis existentibus feris, ovium custodia secura persisteret.

Ad extremum, Rex, nihil ad rem nostram accommodatius esse, aut Majestati tuæ convenientius, dici poterat, quam hæc S. Fulgentii, Episcopi Ruspensis, Toletu oriundi, viri Sanctissimi, atque Sapientissimi, Ordinis S. P. N. Augustini Religiosi, oratio: Magis, inquit, Christianum regitur, ac propagatur Imperium, dum Ecclesiastico statui per universam terram consultur, quam, cum in parte quacunque terrarum pro temporali securitate pugnatur.

Has ob causas, Rex, atque imprimis ob eximiam pietatem tuam, & singulare studium in universa Ecclesiæ, & præsertim in harum trium Provinciarum bonum, quæ dotes tuæ, toti orbi notissimæ, omnium Ecclesiæ filiorum amorem, & reverentiam tibi pepererunt; trium harum Provinciarum Religiosi, servi tui, confidunt, fore ut non vana spe fiduciam posuerint in amore eximio, summaque tua pietate in sanctum Patrem Nostrum Augustinum, quem summi Pontifices, Synodi recumenicæ, sancti Patres, & Scriptores Catholici multis, & pulcherrimis laudibus celebrarunt: quæ de re libri etiam scripti sunt, atque alii scribi possent. Adeoque manifestum est, sacram, supremam, atque universalem Inquisitionem pro jure meritissimo 22. illas Assertiones ex mandato tuo proscriptisse, & notavisse, tanquam respective falsas, improbables, absurdas, male sonantes, piarum aurium offensivas, temerarias, sapientes hereticas, & contumeliosissimas sanctitati, pietati, & Doctrinæ S. P. N. Augustini, inclyti Ecclesiæ Columinis.

Ex his conficitur, has Provincias, jure merito, & optimis rationibus nixas, a te, Rex sapientissime, supplices orare, ut, datis ad summum Pontificem litteris, ab eo petas, ut in universa Ecclesia fieri jubeat, quod ab Inquisitione generali, & hujus jussu ab aliis ipsi subiectis Inquisitionibus tum Hispaniæ, tum aliorum locorum factum est: quando, quo malum latius grassatur, eo latius extendendum est remedium. Nec videtur, quidquam convenientius fieri posse, quam, si ad supremum Pastorem confugiatur, petaturque, quod ab eo expectandum est, necessarium malis remedium.

Hæc, Rex, jam inde semel, atque iterum ad

pedes Majestatis tuæ demississime prostratus, quanta maxima potui, contentione, & reverentia petii, idque ipsum rursus peto. Sic te Christus Jesus in multa sæcula salvam, & incolumentum servet.

III. MEMORIALE, INQUISITORI GENERALI HISPANIÆ

OBLATUM

A

R. P. BARTHOL. DE LOS RIOS.

ILLUSTRISIME DOMINE.

Pater Magister Bartholomæus de los Rios, Ecclesiastes Regius, & primarius in Provincia Castellani Ordinis S. Augustini Definitor, ex nomine, & mandato hujus Provincie, item Tarraconensis, & Andalusiensis, exhibet, oblato a se Libello supplicis Magnitudinis tuæ, ex nomine earundem Provinciarum, quo tibi supplicabat, opemque tuam, & prædium implorabat adversus assertiones quasdam auctoritati, & doctrinæ Sancti Patris nostri Augustini, Doctorum Ecclesiæ Coryphæi, contumeliosissimas; te, Illustrissime Domine, pro eo, quod in te est, fidei conservandæ studio, proque tua rerum Ecclesiæ Catholice promovendarum vigilantissima sollicitudine, & summo in auctoritatem, & doctrinam SS. Patrum affectu, proscriptisse assertiones illas, censuræque merito notatas prohibuisse Decreto publico. Sed quoniam Decretum istud paucissimis notum, aut visum fuit, eo quod a quibusdam hominibus, qui ægre ferunt, Sanctum Augustinum coli, & æstimari, ab Ecclesiis, ubi amicum fuerat, detraditum sit; (quod constat, in hac civitate Regia Matritensi, & Salmanticae fuisse factum, iternque in aliis locis facturum fuisse, verosimile est) multi dubitant, fuerint censura illa publicata, aut editum illud Decretum. Quod cum ita sit, desperandus est fructus, qui expectabatur a remedio, quod tantis malis Magnitudo tua attulerat. Immo vero fuit nuper, qui insolenter Decretum illud contempnit, & in Scripto, typis exculto, hanc orationem petulantissimam effudit: Nihilne servet, ut decretis Pontificum opponatur Censuræ trium forte, aut quatuor Theologorum, qui proscripterint (quo die? quo mense? quo anno?) viginti illas Propositiones, quæ ad doctrinam nihil attinent, sed eo titulo, quod æqua lance doctrinam S. Augustini non æstimarent.

Malum jam inveteratum esse, indicat cum id, quod jam narratum est, tum ea audacia, quæ decreta vestra detrahuntur ab iis locis, in quibus affixa fuerant, ut essent publica, quaque in scripto publico vilipenduntur.

Ad hæc, a viris fide dignis accepi, editum fuisse in Gallia anno superiori librum, auctore quodam Joanne Adam, in quo Scripor ille imprudentissime, & contumeliosissime doctrinam, & auctoritatem S. P. N. Augustini destruit, & evertit.

His de causis, Orator, Pietatem tuam rursus implorans, exhibet, Principes, & Judices non esse timori boni operis, sed mali, nec sine causa gladium portare; leges vero, & functiones publicas esse lucernas, quæ non sint ponende sub medio, sed super candelabrum, ut luceant omnibus, qui in domo sunt.

Quare a te, Illustrissime Domine, ex nomine trium

(1) Sub initium mens. Septembris 1650.

trium dēclararum Provinciarum, qua debet, reverentia flagitat, ut manifestes, & notius reddas tuum illud studium, amoremque fidei, & Ecclesie Catholice, (quæ in summo periculo versatur, præsertim dum ejus columnæ principes, & validissimæ subruuntur) aut mandando, ut rursus Decretum tuum publicetur, & curando ne detraheretur, aut tradendo Oratori exemplum authenticum illius Censuræ, in quo ad verbum expressæ sunt illa viginti duæ assertiones, ut eo uti valeat adversus eos, qui eam in dubium revocant, aut arroganter despiciunt; aut efficiendo e ratione, quæ Magnitudini tuæ convenientior videbitur, ut mandata tua & Censura omnibus sic innovescant, ut de his neque dubium ullum remaneat, neque ulla controversia sit.

Quod si faciat Magnitudo tua, de Ecclesia Catholica, de Sanctis Patribus, atque imprimis de S. P. N. Augustino, & de Ordine nostro optime merebitur.

## EPISTOLA

R. P. BARTHOL. DE LOS RIOS,  
AUGUSTINIANI,

A D

R. P. PHILIPPUM VICECOMITEM,

*Augustiniani Ordinis Generalem.*

Circa 20. Junii 1650.

REVERENDISIME PATER.

AVE MARIA Litteras R. P. V. 23. Januarii, Romæ ad me datas, nonis Martii recepi: verum, sive quod Aula concionibus tunc occurrentibus detinerer, sive quod Tabellarii copia destituerer, sive denique quod ad hujus Provincia Capituli iter me accingerem, curisque in eam rem necessariis distraherer, hæcenus tanto favori, quo me tam benigne, & liberaliter profequi, dignata est R. P. V., gratias ut par erat, habere non potui. Nunc ergo, mihi quodammodo restitutus, ex intimo cordis manum R. P. V. exoculans, quo possum, cultu, & observantia gratias habeo, tantæque benevolentie gratam memoriam in æternum conservabo, confidens, quod, quo me affectu excipere cepit, posthac etiam complecti non dignabitur.

Detrectabam, ob ætatem graviolem Capitulo Provinciae hujus præsentem me exhibere: verum desideris, & precibus R. P. M. Gamboa (cujus cura, & vigilantia res ibi promovēbatur) victus, obtemperavi. Egerunt, ut totius Provinciae sarcinam susceperem; sed quia, multis jam annis in Belgio commoratus, minus hic innotueram, gravesque præterea difficultates in variis Conveniendis superanda erant, quas infelicis, & curiosi sæculi licentia invexit, discolorisque non paucis ferro, & igne medendum erat, abnuendum duxi. Non potui tamen effugere, quin oneris saltem particula in me derivaretur. Coactus ergo sum, primum inter Definitorum locum admittre: utinam qualis qualis opella ista mea Provincia, & Ordini utilis, ac Deo grata esse queat. Nihil interim prætermittam, quo precibus, & suffragiis meis, Deo, Ordini, & bono publico satisfiat: jucundissimumque semper fuerit, promptissime, & alacriter R. P. V. intervire: ejusque purpuræ (Deus audiat) aliquando, flexo poplite, advolvi, & exoculanti.

Reverendissime Pater, non me contineo, quin gemitus cordis mei apud R. V. P. filialiter erudem, confidenterque deponam. Redierunt scilicet Prosperi tempora; quibus licentiosa garrulitas in S. P. N. Augustinum voces, & calamos maledicos insolenter armavit: Gratiam Dei, (ut cum eodem Prospero coarct. Coll. 11. c. 1. interruptis singultibus eloquar) qua Christiani fumus, quidam dicere audent, a S. memorie Augustino Episcopo non recte esse defensam, librosque ejus, contra errorem Pelagianum conditos, immoderatis calumniis impetere non quiescant: Quibus ibi non tam suæ ætatis effigiem, quam sæculi nostri infelicitatem ad vivum repræsentare videtur. Pro sui gravitate, tantæque licentiae indignitate, res ista Definitorium nostrum adeo exulceravit, ut, pro opportuno remedio, S. Majestati, Catholico Regi nostro, supplicandum censuerit, quatenus Regiæ suæ auctoritatis interventu apud S. Sedem, quod olim Prosper, & Hilarius a Cælestino, hodie ab Innocentio X. impetret petulantia istius necessariam coercitionem. Hæc mihi provincia demandata est; & jam cepti, nomine Provinciarum Castiliæ, Arragoniæ, & Andalusie, & ex eadem commissione, tum apud Catholicam suam Majestatem, cum apud generalem nostram Inquisitionem insistere, ut de remedio adversus tam perniciosum, quod serpit, incendium, dignarentur cogitare. Imperavi a S. Majestate secretam audientiam ut tanto liberius, confidentisque justissimas querelas nostras, pro rei gravitate, dolenter exponerem, porrexique hunc adjunctum libellum. Addixit vero sua Majestas, pro solita sua clementia, & in Divum Augustinum P. nostrum affectu, patrocinium suum apud S. Sedem, efficacisque litteras in eam rem daturum se, adpromisit. Ordinis S. Patris Dominici imminens quoque incendium similiter excitavit, magnamque in hac causa operam conferunt; immo (ad verecundiam nostram dico) ardentes nobis sunt. Jungo quædam scripta, quæ lucem aliquam, & instructionem dare possunt. Memoriale hoc, S. Sanctitati præsentatum, typis evulgatum, accepti ex Belgio: reliqua duo, impressa, & excerpta sunt ex libris, in Gallia impressis. Non dubitamus, quin R. P. V., auctoritate etiam sua, præsens in curia ista, totius S. Ordinis nostri, immo totius Ecclesie causam promovere, dignabitur.

Pervenit ad nos rumor, propediem nobis adfuturam R. P. V. utinam! utinam! de hoc si constaret, animos Magnatum, & præcipuorum Ministrorum suæ Majestatis, pro debito cultu, & reverentia, & veneratione exhibendis, studiose prævenire; immo si quid ulterius desiderari videbitur; sum etenim ex animo, & toto corde.

R. P. V.

*Minimus Servus, & Filius*

F. BARTHOLOMEUS DE LOS RIOS.

## EPISTOLA

R. P. PHILIPPI VICECOMITIS,  
AUGUST. ORDINIS GENERALIS,

A D

R. P. BARTHOL. DE LOS RIOS,

*ejusdem Ordinis.*

REVERENDISIME PATER,

Filiorum est, Patris conservare hæreditatem, custodire depositum, tueri honorem, & Augustini sanam, catholicamque doctrinam defendere; lætamurque, te, inter alios, hunc a Domino consequutum spiritum, ut plurimum cupias, doctrinam ejus, a quibusdam nescio ventilatam, & ad certamen vocatam, pro viribus defendere; & cum a nobis nostram quoque operam implores, etiam ita spondemus, ut cum reliquo religioso coetu nullum desiderandum relinquamus majus studium, pro communis Patris honore. Quamquam causa potius publica sit totius Catholici nominis, & hujus in primis S. Sedis; tamen & nostros quoque calamos, linguasque acuendas, exigit pietas, ut tanti Patris vindicemus injurias. Porro pro certo habemus, quod, qui volunt ad pugnam exhumer, sanctosque cineres profana manu ventilare, ossa corrodere, in hoc adamantino Viro suos fracturos esse dentes; & si mortuos insultaverint vel timidos lepores, ex nostra Eremita non deerunt leuculi, qui leonem hunc emorruum, semper tamen victurum, defendant, & ex ejus ore mel suavissimum prodire, ostendant. Tametsi ex ejus collis ossibus etiam scintillæ profiliant, quibus vel excipientur mentes ad agnoscendam veritatem, vel stipulæ adversantium veritati comburantur. Vale P. T. R.

Roms 2. Martii 1651.

*Amantissimus*

F. PHIL. VICECOMES, Gener.

## EPISTOLA

EJUSDEM

R. P. BARTHOL. DE LOS RIOS,  
*ad eundem suum Generalem.*

REVERENDISIME PATER,

AVE MARIA. Ut non desint Eremita nostræ cervo fugacior, leporeque timidior homines; pauci, inquam, prout olim Prosperi nostri ætate, supersint fortasse intrépidi perfectæ Gratiæ amatores, qui tantis contradictoribus audeant contraire; nonnullis spe, ambitu, metu enervatis, (licetne addere, quod probro nobis non parum vertitur?) etiam ipso circa P. N. S. Augustini doctrinam in plerisque nimis supino studii neglectu, qui relicto fonte aque vivæ, fodiant sibi cisternas dissipatas; Leone tamen duce, qualem ex ungue, & litteris R. P. V., dignoscimus, strenuum

videlicet, & non degenerem S. P. nostri Succesorem, non deerit unquam generosus Leuculorum manipulus, Catulive leonum rugientes, ut rapiant; qui inverecundæ obrectatorum audaciæ viriliter generositatem suam opponant. Etsi vero auscultare, & obtemperare, proclivius sit devotissimis tuis Filiis, Reverendissime Pater, promptosque, & alacres ad eundem R. P. T. jussa capefcenda accinctos semper reperies; si quid tamen, communicatis iis, quas ad me dirigere dignata est, harum Provinciarum Superioribus, ac Magistris visum fuerit, pro felice causa istius directione, & patrocinio S. P. N. suggerere, verrecunde, ac reverenter audebimus. Certe tam alte impressa est omnium nostrum medullis S. P. N. veneratio, ut, si ita necesse judicabitur, non dubitabunt, ad S. Sedem, dicti Prosperi nostri exemplum provocati, consimilique zelo succensi, (bona cum R. P. V. licentia) accurrere, querelas suas deponere, remedia tantis malis deprecari: neque Sanctitatem suam dimittent, donec benedixerit eis. Quid, quod vel laicum hominem, Hilariū, olim in S. P. N. jactata contumelia (longe tamen minor, quam quæ hodie, si circumstantias omnes attentius pensavimus) tantum potuit exulcerare, ut se Prospero, ad Sanctam Sedem properanti, non dubitaret gemebundam comitem adjungere? An forte a Religiosis Viris, Augustini discipulis, ac filiis, Ecclesieque ducibus, minus aliquid expectandum? Vestem prius, ac nomen Augustinianum abjiciant.

Audio, felici, & grato nutrio, ex parte Definitorii religiosissimi Ordinis Sancti Dominici, cujus Fratres, tanquam fidelissimi canes, ad Ovile Dominicum adversus lupos tam diiugenter excubant (qui Pastorem ovium lædere vult, lupo est; canebat olim in hac eadem causa Prosper) scriptas in hanc rem nostram, seu verius Ecclesie, litteras ad ipsorum Generalem, quas ab eis dolor, & zelus expressit. Forte offerret sese occasio R. P. V. cum eo sermonem miscendis, & de mediis, ac remediis consulendi, Deus mentem bonam inspiret, animos confortet, vires, & salutem conservet. Dabam Maritimi, in Regali conventu S. Philippi 20. Maii 1651.

*Reverendissime P. V.*

*Devotissimus, & obedientissimus in Christo filius*

F. BARTHOLOMEUS DE LOS RIOS.

## EPISTOLA

EJUSDEM P. GENERALIS

A D E U M D E M

REVERENDISIME PATER,

Ex litteris tuis, annexisque Propositionibus, & laudabilem tuum pro communis nostri Parentis honore zelum, & obrectatorum ejus impudentem vesaniam cognovimus; & hanc quidem ad stuporem usque sumus demirati. Si enim ut antiquorum Patrum quispiam dixit, *Ille se ore proprio hereticum esse convinct, qui Augustinum in aliquo putaverit reprehendendum esse eloquia*: quo tandem nomine censendi sunt perdit illi tenebriones, qui ad splendidissimum tanti solis fulgorem caligantes, non solum maculas in ejus limpissima puritate